

idem obiectum formale, & nulla motula intercedit inter illa, non opus est, quod actus voluntatis discontinuatur; & hac ratione quamvis in Angelo bono pro primo, & secundo instanti darentur iudicia practica realiter distincta, in probabiliori sententia, amor Dei nullam discontinuationem subit, sed iudicia, quae proponunt actionem vescendi carnis ad naturalem sustentationem, proponunt in esse physico idem obiectum formale: ergo non opus est, quod actus voluntatis in esse physico discontinuatur, sed potest transire de bono in malum. *Maximè*: Quia si iudicia, & actus voluntatis discontinuarentur, esset, quia obiectum proponitur nunc sub ratione *bonestis*, & postea sub ratione *inbonestis*; sed hoc arguit distinctionem specificam non solum accidentalem, & in genere moris, sed etiam essentialem, & in genere physico; quam non concedunt Adversarii concedentes moralitatem esse predicatum accidentale actus: ergo nec ex illa ratione debet inferri diversitas realis in actibus, sive intellectus, sive voluntatis.

Ex dictis preoccupatae manent satis obiectiones Adversariorum, quin opus sit eas singulis latim proponere, & enodare.

DISPUTATIO II.

De Moralitate ex circumstantiis.

MNES Theologi distinguunt in actibus moralibus duplicem moralitatem, aliam substantialem, & primariam desumptam ex obiecto, de qua egimus disp. prae. per totam; alteram accidentalem, & secundariam, quam habere dicuntur ex circumstantiis, cui operam damus in hac secunda disputatione. Nomine tamen *circumstantie* hic intelligitur id, quod circumstat obiectum actus moralis, & actum ipsum iam constitutum in suo esse specifico, non tantum in esse naturae considerato, sed etiam in genere moris. Quare de ratione circumstantiae moralis est, quod afficiat actum moralem ut *talem* per modum accidentis, quod possit adesse, & abesse, salva specifica, & essentiali moralitate desumpta ex obiecto: & hac de causa *circumflare* dicitur, non verò constituitur per modum partis essentialis, aut integralis, ad similitudinem accidentis physici.

Pro cuius maiori luce: Nota, circumstantias actus humani esse in triplici differentia: nam aliae sunt, quae tantum circumstant actum in esse physico, & nullo modo conducunt ad moralitatem, ut quod occisio fiat mane, vel vespere: & haec non pertinent ad hunc tractatum, & disputationem. Aliae sunt, quae necessario concomitantur omnem actum moralem in ratione com-

muni actus moralis, & in actu bono moraliter obedientia ad Deum & ad legem; & in actu malo inobedientia, ingratitude, & alia huiusmodi: & nec de his est sermo in hac disputatione, vel quia non sunt proprie circumstantiae, sed quaedam rationes transcendentales ipsius actus: vel quia licet sint circumstantiae morales, sunt verò communes omnibus actibus. Aliae tandem sunt, quae afficiunt actum moralem, & non tanquam conditiones generales, & transcendentales, sed tanquam accidentia specialia illius. Et de his agimus in praesenti.

Huiusmodi autem circumstantiae, iuxta communem sensum Theologorum, sunt septem, ad quas, si aliae sunt, possunt reduci: Et comprehenduntur in hoc versu: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*. Circumstantia *quis* non significat personam ipsam, quae est principium operationis, quia pertinet ad substantiam actus; sed tantum denotat conditionem personae, ut si sit publica, vel privata; Religiosus, aut saecularis; coniugatus, vel solutus. *Quid* non significat ipsum obiectum substantiale actus, propter eandem rationem, sed significat *tantum*, v. g. magnum, vel parvum in re ablata per furtum. Ad quam reducitur circumstantia *circa quid*, cuius meminit Philof. 3. Ethicor. ut videri potest in D. Thoma supra q. 7. art. 3. *Vbi* denotat circumstantiam loci, ut si sit facer, vel prophanus; occultus, vel publicus. *Quibus auxiliis* dicitur instrumenta, quibus actus exercetur: ut si percussio fuit fune, vel ense, vel ad sollicitandam foemina vitur quis mediatrix. *Cur* significat finem extrinsecum operantis, ut dum quis furatur ad machandam, vel ieiunat, ut satisfaciat pro peccatis. *Quomodo* significat modum actus, ut intentionem, & remissionem illius; maiorem, vel minorem advertentiam. Et *quando* significat durationem actus, ut si duret per unam horam, aut dimidiam: significat etiam, si fiat in die festo, vel feriali.

Quoties solet assignari ab aliquibus inter circumstantias morales. Ad quos intelligentiam nota, quod vel significat numerum actuum, & hoc pacto non est circumstantia, sed significat ipsam substantiam plurium actuum: cuius signum est, quod tenetur quis eos in confessione aperire, etiam in suppositione quod non tenetur declarare circumstantias pure aggravantes, & non mutantes speciem. Vel significat frequentiam peccandi, ex quo subsequens peccatum videtur gravius: & hoc modo est circumstantia, sed potest reduci ad *quomodo*, vel *quando*. Quibus scitis, sit:



DUBIUM I.

Utrum omnis actus humanus habeat aliquam moralitatem ex circumstantiis

PLura in hoc titulo continentur, quae ad eius maiorem claritatem resolvenda sunt pluribus conclusionibus.

S. I.

Prima assertio.

Dicendum est *primò*, omnem actum moralem sive internum, sive externum habere aliquam moralitatem ex circumstantiis. Ita D. Thomas in praef. art. 3. Arist. relatus ab eodem Angelico Praeceptore ibidem in argum. *Sed contra*, Magister Sent. in 2. dist. 38. & 40. Scotus 2. dist. 7. quaest. vnic. §. *Ad solutionem*, & quodlib. 18. §. *De primo*, quos sequuntur communiter Theologi. Et habetur expresse ex Trident. sess. 14. cap. 5. & can. 7. ubi definit, explicandas esse in confessione circumstantias mutantes speciem peccati: ex quo inferitur, actum virtutis etiam habere aliquam moralitatem moralem ex ipsis.

Et probatur *primò* ratione evidenti: Nam nulla est actio humana, quae praeter bonitatem, aut malitiam desumptam ex obiecto, non habeat ex circumstantiis aliquam accidentalem, quae potest adesse, & abesse sine destructione bonitatis, aut malitiae desumptae ex obiecto: ergo omnis actus moralis sive internus, sive externus desumit aliquam moralitatem ex circumstantiis. Antecedens probatur: nam omnis actus humanus ex circumstantiis redditur magis, vel minus conformis regulis morum; magis, vel minus diffinis magis, vel minus meritorius, aut demeritorius, magis vel minus dignus laude, vel vituperio. Quis enim neget, quod est magis conformis regulis morum actus charitatis intensior, quam remissus, actus durans per unam horam, quam per dimidiam; actus, qui fit ex voto, quam sine illo; actus dandi elemosynam magnam; quam parvam? Similiter quis neget, quod est magis diffinis actus peccati magis intensus, quam remissus, & qui durat per longum tempus, quam per brevius, homicidium Clerici, quam laici?

3 Deinde probatur ratione D. Thomae supra relati: Nam res in esse naturae aliquam perfectionem recipit ex accidentibus, sive propriis, sive communibus: ergo etiam actus in esse morali non recipit totam bonitatem, aut malitiam ex obiecto, sed aliquam recipit ex circumstantiis, quae sunt accidentia obiecti. Antecedens ut certum debet supponi. Pro quo videri potest Div. Thomae 1. part. quaest. 5. art. 1. Consequentia verò probatur: ideo enim antecedens est verum,

quia substantia creata secundum suam essentiam est finita; sed eadem ratio militat in actu morali ut moralis: ergo si res in esse naturae habet aliquam perfectionem desumptam ex accidentibus, etiam actus moralis habet aliquam bonitatem, & malitiam ex circumstantiis.

4 Respondet Durandus Princeps sententiae contrariae, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Rationem disparitatis affert: quia substantia est verè subiectum accidentium, & propterea perficitur ab eis. Actus verò humanus proprie non est subiectum accidentis, quia est accidentis; ideoque actus moralis non perficitur ab aliquo accidenti morali.

Contra est: Nam sicut substantia est primum subiectum in esse physico, ita actus moralis, secundum ordinem quem dicit ad obiectum ut morale, est primum subiectum in ordine morali; sed quia in ordine physico substantia est primum subiectum, est perfectibile per accidentia: ergo etiam actus moralis respicit aliquas circumstantias accidentales, per ordinem ad quas possit desumere aliquam perfectionem moralem, sitque verè subiectum illius. *Maximè*: Quia est unum accidens non sit verè subiectum quod alterius accidentis, verè tamen est subiectum quo illius; & ita actus in esse physico est verè subiectum quo moralitatis, iuxta dicta disp. praeced. ergo actus ipse ut moralis potest etiam esse verè subiectum alicuius moralitatis accidentalis. *Adde*: Nam aliquod subiectum quod debet assignari pro actu morali ut moralis; sed hoc nequit esse (v.g.) Petrus, quia proprie non recipit denominationem moralis: non enim dicitur proprie *consonus*, aut *dissonus rationi*: ergo est actus humanus: ergo etiam actus, ut constitutus iam formaliter in linea morali, potest esse verè subiectum alicuius moralitatis accidentalis.

5 Respondebis, praedicta convincere de actu bono, eò quod nequit stare bonitas actus desumpta ex obiecto, nisi adsit bonitas desumpta ex pluribus occurrentibus, iuxta illud, *Bonum ex integra causa*. At quia ad malum sufficit quilibet defectus, potest contingere, quod actus sit malus praecise ex obiecto, vel quia omnes circumstantiae secundum se sunt bonae; vel quia praescinditur ab eis, ut contingit in hoc actu, *Volo furari*, vel in hoc, *Volo inboneste vivere*.

Contra est: Nam repugnat, actum malum habere malum obiectum, & non habere aliquam circumstantiam pravam: ergo quamvis quilibet defectus moralis satis esset ad malum, non potest tamen reperiri solus defectus desumptus ex obiecto. Antecedens probatur: nam repugnat, actum habere malum obiectum sine circumstantia alicuius intentionis, & durationis, sicut repugnat actus cum sola essentia adhuc individuali sine aliqua intentione, & duratione: ergo repug-

pugnat, actum malum habere malum obiectum, & non habere aliquam circumstantiam pravam.

6 Sed obijcies: Nam potest contingere, quod actus malus habeat minimam durationem, & remissionem, sed tunc casus non haberet aliquam malitiam accidentalem, sed præcisè essentialem: ergo non omnis actus habet aliquam moralitatem ex circumstantiis. Minor probatur: nam minima duratio, & remissio non sunt circumstantiæ, sed sunt persè peritæ ad consistentiam actus in rerum natura, quia actus nequit existere minus, quam per unum instans, & cum gradu remisso ut unum; quod est contra rationem circumstantiæ, quæ potest adesse, & abesse, manente essentia actus moralis: ergo actus malus habens minimam durationem, & remissionem non haberet aliam malitiam præter substantialem.

Ad hanc obijctionem respondetur, quod minima duratio, & minimus gradus actus mali non sunt de essentia illius, alias non maneret idem actus, dum continuaretur, & intenderetur. Ad existentiam ergo illius sufficit duratio vage, & gradus intensiois vage. Hincque rectè arguitur, gradum ut unum, & durationem per unum tantum instans esse verè circumstantias, dareque actui moralitatem accidentalem, & distinctam realiter ab essentiali. *Maxime*: Quia actus, dum primò incipit, habet specialem difficultatem, distinctam ab ea, quam habet, dum continuatur; quod est signum, unum, & aliam non convenire actui secundum se, nec esse essentialem. Hac etiam ratione sunt proprie circumstantiæ dantes actui malitiam accidentalem.

§. II.

Durandi argumenta.

7 **A**rguitur primò ex Div. Thomæ quæst. 19. seq. art. 2. ubi expressè docet, actum interioriorem voluntatis in sua bonitate tantum dependere ex obiecto, ad differentiam actus exterioris, cuius bonitas dependet etiam à circumstantiis: ergo actus interior nullam moralitatem habet ex obiecto.

Circa solutionem huius argumenti præcipuum assumptum est mentem Angelicæ Præceptoris contentam in prædicto articulo aocire, cuius doctrina videtur prima facie pugnare, non solum cum veritate, sed etiam cum eis, quæ nobis tradit in præsentis articulo 3. huius quæst. 18. Et nemo tam vecors esse potest, qui, ne videatur D. Thomas sibi contrarius, non dicatur, articulum nobis obiectum aliquid peculiarè & abstrusum, & consonans suæ doctrinæ circa moralitatem desumptam ex obiecto continere. Et propterea omnes Expositores prædicti ar-

ticuli conati sunt menti D. Thomæ varias expositiones adhibere. Sed misis brevitas gratia, cui studemus, pluribus minus accommodatis, solum adducemus eam, quam tradunt N. Salmant. in præf. disp. 4. num. 10.

Pro qua, nota primò, D. Thomam in eo articulo non loqui de omni obiecto actus voluntatis, sed de bonitate essentiali, vel de ea, à qua dependet, ut hæc datur in rerum natura, ut colligitur ex contextu. Nota secundò, obiectum actus posse suum dupliciter, vel strictè, & est illud, à quo recipit actus bonitatem essentialem; vel largè, prout idem est, quod volitum, quo pacto comprehendit omnes circumstantias obiectivas. Nominè *obijcti* non sumitur à Div. Thomæ in prædicto articulo obiectum præcisè in priori acceptione, sed etiam in posteriori. Et ratio est: quia circumstantiæ potius sunt conditiones, & accidentia obijcti, quam actus, à quibus obiectum essentialiter dependet saltem tantquam à connotato, & conditione *sine qua non*. Et propterea D. Thomas in fine prædicti articuli non excludit à ratione *obijcti* has circumstantias, sed præcisè eas, quæ sunt immediata accidentia actus, ut quod fiat cum tanta intensioe, & tanta duratione: *Bonitas voluntatis* (inquit) *ex solo uno dependet, quod persè facit bonitatem in actu, scilicet ex obijcto, & non ex circumstantiis, quæ sunt quadam accidentia actus*. Et ad 2. sub obiecto comprehendit *ubi, quando, quomodo* aliasque circumstantias, secundum quod sunt volitæ, excludens eas, quæ efficiunt immediatè actum. Nisi velis dicere, quod etiam hæ circumstantiæ sunt etiam obiectivæ, in quantum sunt formaliter, aut virtualiter directæ, aut reflexe volitæ; sed hoc pacto licet in *esse rei* immediatè efficiant actum, in *esse obijcti* immediatè efficiunt obiectum actus voluntatis. Nec ab his utroque modo sumptis dependet bonitas absoluta actus interioris: quia eo ipso quod habet bonum obiectum, & bonas circumstantias directè obiectivas, necessariò inferitur, quod intentio eius, & duratio sint bonæ.

Nota tertio, hoc esse discrimen inter actum exterioriorem, & interioriorem voluntatis, quod respectu actus exterioris solum habet rationem obijcti id, quod revera est obiectum formale illius, à quo recipit speciem, reliqua vero, ut suis operantibus; & alie circumstantiæ, sunt proprie tales: quia actus exterior non respicit eas in ratione *volitorum*, sed aliunde circumstantiæ illum omnino accidentaliter: v. g. quod elemosyna datur Sacerdoti, omnino accidit elemosynæ. Contra verò respectu actus interioris se tenent ex parte obijcti voliti; ideoque potius dicendæ sunt conditiones obiectivæ, quam circumstantiæ actus, quia non circumstantiæ immediatè actum, sed obiectum.

Aliud discrimen est inter circumstantias utriusque actus, quod obiectum actus exterioris

ris

ris nequit dare bonitatem actui interiori, nisi dependenter à circumstantiis ipsius actus exterioris: v. g. elemosyna, quæ est obiectum exterioris elargitionis, nequit tribuere actui interiori bonitatem, nisi connotet *cur, quomodo, quando &c.* At ipsa actio exterior sumpta cum omnibus suis circumstantiis, quo pacto est obiectum largè sumptum actus interioris, non dependet à circumstantiis ipsius actus interioris, ad hoc ut tribuat bonitatem, ut quod prædictus actus fiat cum tanta intensioe, & in tanta duratione: quia eo ipso, quod actus interior habeat obiectum bonum, & alias circumstantias obiectivas bonas, necessariò inferitur, quod intentio sit bona, & quod hæc tribuat suam bonitatem accidentalem.

Hinc iam patet legitimus sensus D. Thomæ: Nam solum intendit, quod actus interior in sua bonitate tantum dependeat ab obiecto largè sumpto, prout comprehendit circumstantias obiectivas, quæ respectu illius potius habent rationem obijcti, quam circumstantiæ, & non à circumstantiis ipsius actus interioris: Et contra tamen actus exterior dependeat non solum ab obiecto, sed à suis circumstantiis, quæ vere habent rationem circumstantiæ. Cum quo rectè coheret, quod actus interior habeat aliquam bonitatem accidentalem à circumstantiis ipsius actus interioris, putat ab eius intensioe; & duratione &c.

8 Sed contra hanc expositionem obijcies: Nam potest contingere, quod actus interior habeat totum obiectum bonum, & vitietur ex circumstantiis ipsius actus: ergo non est admittenda. Antecedens probatur primò: In Religioso volitio venandi habet totum obiectum bonum, & tantum est mala ex circumstantia personæ; sed hæc se tenet ex parte actus, & non ex parte obijcti: ergo. Secundò: Potest Deus præcipere alicui, quod non diligat ipsum, vel quod non diligat intensè; sed si non obediret, tota malitia defumeretur ex circumstantia se tenente præcisè ex parte actus; nam obiectum, & omnes circumstantiæ obiectivæ sunt bonæ: ergo. Tertio: Dilectio, qua Angelus primò peccavit, solum fuit mala ex parte modi volendi, qui est circumstantia se tenens ex parte actus.

Respondetur negando antecedens. Et ad primam probationem, concessa maior; neganda est minor: quia conditio personæ religiosæ potius attingitur à voluntate, ut circumstantia obiectiva, quam ut circumstantia se tenens ex parte actus. Et ratio huius est: nam actus interior voluntatis respicit actum externum venationis ut obiectum, & hic actus externus importat venationem ut exercendam à Religioso. Unde *Religiosum venari* est obiectum actus interioris; quod est malum moraliter ex circumstantia obiectiva actus exterioris.

Ad secundam probationem dicendum est, Paul-Theol. Salm. Tom. II.

quod dupliciter potest intelligi præceptum prohibens actum amoris Dei, vel persè, vel per accidens. Tunc intelligeretur prohiberi per accidens, quando præciperetur alius actus incompatibilis cum eo: & tunc intelligeretur prohiberi persè, quando prohiberetur independentè ab alio actu præcepto ob exercitium obedientiæ. Suponimus, amorem Dei hoc posteriori modo non posse prohiberi: quia finis omnis præcepti est charitas, ut inquit Apostolus. Non dubitamus priori modo posse prohiberi; sed tunc non vitietur ex circumstantiis se tenente præcisè ex parte actus, sed quia esset occasio omissionis actus præcepti; quæ quidem omisio se teneret ex parte obijcti.

Ad tertiam dicendum est, quod dilectio qua Angelus primò peccavit, fuit mala; quia habuit malum obiectum, nempe beatitudinem naturalem cum privatione relationis ad finem supernaturalem, instante præcepto illius. Verum quidem est, quod hoc obiectum non fuit expressè & formaliter volitum; & propterea foret dici, quod Angelus non primò peccavit per dilectionem alicuius obijcti secundum se malis; & quod resultat malitia in actu ex parte modi volendi. Sed hoc optimè componitur: quia illa non ordinatio fuit volita interpretativè & fuit modus ipsius obijcti, sicut si expressè diligeretur.

Secunda assertio: *Nullam esse circumstantiam moralem, quæ non conferat actui morali aliquam bonitatem, aut malitiam.* Pro cuius luce, nota, vel sensum esse nullum dari actum, vel quomodo circumstantiis non afficiatur: vel sensum esse, quod actus accipiat aliquam bonitatem, aut malitiam moralem ab illis circumstantiis, quibus afficitur, ita ut nulla sit, quæ aliquem actum non afficiat.

Assertio prædicta debet accipi in hoc posteriori sensu. Sed adhuc nota, quod dum loquimur de omnibus circumstantiis, ly *omnes* vel supponit incompletè, scilicet pro generibus, aut speciebus singularium; quo pacto facit hunc sensum, quod aliqua ex omnibus speciebus conferat bonitatem, aut malitiam. Vel supponit completè pro singulari generum, & specierum; & hoc modo facit hunc sensum, quod nulla est individualis circumstantia, quæ non conferat aliquam bonitatem, vel malitiam. Assertio nostra accipienda est iuxta utriusque sensum. Et eam defendunt communiter Theologi.

Et quoad posteriorem, & præcipuum sensum probatur ratione efficaci: Nam actus accipit bonitatem, aut malitiam ab omni eo, ratione cuius obiectum, vel actus dicitur specialiter cõ-

Ppp

for.

formitatem, aut difformitatem cum regulis morum; sed nulla est circumstantia moralis, ratione cuius actus, vel obiectum non importet specialem conformitatem, aut difformitatem cum regulis morum; ergo nulla est circumstantia moralis in individuo, à qua actus non sumat specialem bonitatem, aut malitiam. Maior est persè nota, si supponatur, quæ diximus disputatione precedenti. Minor verò probatur: nam vel non est circumstantia moralis se tenens ex parte actus, aut obiecti, vel debet importare ex se specialem conformitatem, aut difformitatem cum regulis morum; sicut non est obiectum morale, quod non importet specialem conformitatem, aut difformitatem cum regulis morum, idemque dicendum est de actu: ergo nulla est circumstantia moralis, ratione cuius actus non habeat specialem conformitatem, aut difformitatem cum regulis morum. Patet consequentia: nam actus ex se est capax recipiendi effectum formalem circumstantiæ efficientis immediate actum, aut obiectum: ergo si omnis circumstantia moralis se tenens ex parte actus, aut obiecti affert ex se specialem conformitatem, aut difformitatem cum regulis morum, illam debet actui conferre.

10. Quoad alterum sensum suadet eadem assertio, discurrendo per singula genera circumstantiarum, & probando non solam conferre, seu augere bonitatem, aut malitiam intra eandem speciem, sed etiam transferre ad aliam speciem: Nam ratione *quis* actus incontinentiæ habet speciem sacrilegij in persona Deo consecrata per votum, & intra eandem speciem sacrilegij in Episcopo addit maiorem malitiam, quam in quolibet alio Sacerdote. Item ratione *ubi* factum transit in sacrilegium, quod est species distincta ab iniuria, & intra eandem speciem sapè crevit actus difficultas, ratione cuius augetur bonitas, aut malitia. Ratione *quibus auxiliis* occidere aliquem aliquo instrumento facto habet malitiam sacrilegij præter malitiam iniuriæ; & intra eandem speciem laudatur David ex eo, quod percussit Philistæum in funda, & lapide, & non in gladio. Ratione *quomodo* actus magis intensus habet maiorem bonitatem, aut malitiam intra eandem speciem, quam actus remissus; sed ratione eiusdem actus promptè, & fiducialitè aggrediendi magna habet speciem fiduciæ supra magnanimitatem: & idem actus eadem exequendi sollicitè, & strenuè ad constantiam addit speciem magnificentiæ. Ratione *quando* actus durans per unam horam habet intra eandem speciem maiorem bonitatem, aut malitiam, quam idem durans per dimidiam: & actus cuiuslibet virtutis durans per totam vitam addit speciem permanentiæ. Ratione *quid* gravius peccat, qui furatur centum, quam viginti: & furtum rei sacræ addit ad speciem iniuriæ speciem sacrilegij. Ratione *cur*, qui ieiunat ad sa-

crificandum pro peccatis, addit bonitatem peccatiæ supra bonitatem abstinentiæ: & qui furatur ad machinandum addit speciem incontinentiæ supra speciem iniuriæ: & intra eandem speciem, qui furatur fabro claves ad exponendam domum alterius, magis peccat intra speciem furti ex circumstantia finis: ergo nulla datur circumstantia sub quolibet genere circumstantiarum, quæ non solum auget bonitatem, aut malitiam intra eandem speciem, sed etiam transferat ad aliam speciem.

§. IV.

Obiectiones contra hanc secundam assertionem.

II. **A**rguitur primo: Nam circumstantiæ illæ, quæ minuunt moralitatem actus, afficiunt illum in genere moris; & tamen non conferunt aliquam bonitatem, & malitiam: ergo non omnes circumstantiæ moralis conferunt aliquam bonitatem, aut malitiam. Minor probatur, in eo qui furatur ad dandam elemosynam, ubi circumstantia *cur* diminuit malitiam: nam nihil peccat, qui sic furatur, quam qui furatur ob solam furti delectationem.

Et confirmatur in metu, ignorantia, & passione, quæ minuunt malitiam; & tamen nullam conferunt moralitatem: ergo.

Ad argumentum respondetur, quod finis bonus respectu actus mali non est circumstantia moralis, neque attingitur ab illo prout moralis; aliàs conferret aliquam bonitatem moralem, quod est falsum iuxta dicta disputatione precedenti dubio ultimo. Idemque dicendum est de obiecto bono, cui adiungitur finis malus moraliter. Neque ex eo, quod minuat malitiam, sequitur attingi morali modo, vel quod sit circumstantia propriè moralis: quia ad hoc sufficit, quod diminuat voluntarium, quod ex se non est morale, quamvis sit fundamentum moralitatis.

¶ Per quod constat ad confirmationem: Nam metus, ignorantia, passio &c. non diminunt moralitatem, nisi minuendo physicè voluntarium. Vnde contingit, quod totalitè auferant voluntarium; & quia, sublato fundamento, necesse est, quod pereat res fundata, propterea possunt esse causa, vt actus nullam moralitatem accipiat ab obiecto, & circumstantiis. Et hæc eadem ratio sufficit ad hoc, vt actus ratione ignorantia, vel de converso, propter voluntarij diminutionem, vel augmentum.

12. Arguitur secundò: Nam potest aliquis actus attingere infinitam quantitatem obiecti, vt si quis vellet erogare infinitas elemosynas; sed tunc circumstantia *quid* non dat actui infinitam moralitatem: ergo nullam: ergo non omnis circumstantia moralis tribuit actui aliquam morali-

tatem. Hæc vltima consequentia patet ex prima. Et prima ex præmissis: nam prædictum obiectum vel nullam bonitatem accidentalem tribuit, vel bonitatem infinitam, vt argumentum communi calculatorio deduci potest.

Similis difficultas potest fieri ex circumstantia durationis: Nam si actus bonus, quod est diuturnior, est melior, & augetur meritum, sequitur quod durans per unam horam habeat bonitatem infinitam: nam ex eo quod eliciatur in vnicuique instanti, aut in brevissima parte, habet bonitatem determinatam, & per coexistentiam ad aliam partem habet maiorem; sed in vna hora sunt infinita instantia, & infinitæ partes temporis: ergo haberet infinitam bonitatem.

Hoc vrget in hypothese probabili, quod Deus produceret Angelum ab æterno, & hic ex tunc continuaret (v. g.) amorem Dei vsque ad hodiernum diem, vel alium actum bonam: certè, si bonitas crevit per partes durationis, in illo esset bonitas infinita, vt eodem argumento calculatorio ostendi potest.

Respondetur ergo, argumentum calculatoriū non semper esse efficax: & sic vidimus, quod actus amoris Dei, & visionis beate attingunt obiectum infinitum, & non propterea actus habet infinitam perfectionem. Idem asserendum est de actu, qui simpliciter complacentia, vel affectu efficaci, vel conditionato, intenderet dare infinitas elemosynas. Et ratio est eadem vtrobique: quia actus non recipit ab obiecto infinitam perfectionem, nisi tendat in illud infinito modo, infinito conatu, & affectu; quod nulli actui creato competere valet. Et hæc ratio, licet obiectum infinitum tribuat actui maiorem perfectionem in certa quadam proportionem, quam tribuant obiecta vel finita, vel inferioris ordinis, non verò infinitam; ideoque actus terminatus ad infinitam elemosynam solum sumit ab ea finitam bonitatem proportionatam affectui. Quod adeo verum est, vt actus terminatus ad elemosynam finitam possit in bonitate illum adæquare; & contingeret, cum prædictus actus crederet in intentione. Neque ex hoc sequitur, quod si vterque actus est æqualis in intentione, cognitione, & cohata, habeat æqualem bonitatem: quia maior quantitas, ceteris paribus, dat maiorem bonitatem.

13. Ad difficultatem desumptam ex circumstantia durationis facile occurrit ex doctrina tradita in lib. Physicor. de compositione continui: Nam sicut duratio temporis non regulatur per partes proportionales, & instantia illas continuantia, sed per partes certas, & aliquotas; qua ratione duratio vnus horæ est finita, & limitata simpliciter: similiter actus durans per unam horam tantum potest accipere bonitatem finitam. Sicut calefactio durans per horam, licet in ea sint infinitæ partes, & instantia, in quo-

Paul. I. beol. Salm. Tom. II.

rum singulis aliquid caloris producit, non tamen infinitum calorem producit. Et ratio huius est: quia licet cuiuslibet instanti, & parti proportionali debeat correspondere aliquid caloris; at prædictæ partes, & instantia sunt confusa, & indeterminata, atque ideo solum debet correspondere aliquid confusum, & indeterminatum ex parte caloris: & quia partes aliquotæ sunt determinatæ, & certæ, etiam correspondet ex parte caloris aliquid certum, & determinatum. Pariformiter discurrendum est de actu bono duranti per unam horam. Hinc facile deduces, quod actus bonus durans continue per unam horam potest superexcedi in bonitate ab vno actu valde intenso, & potiori titulo à pluribus actibus reperitis per eandem horam, & magis intensis; seorsus verò si cetera sint paria quia ceteris paribus continuatio actus boni non peioris conditionis est.

14. Ad urgentiam respondetur sub distinctione: nam vel actus bonus est de numero successivorum, vel de numero rerum permanentium. Si est de numero successivorum, nulla est difficultas: quia nunquam verificaretur, quod actu haberet bonitatem infinitam; sicut si tempus fuisset ab æterno, non sequeretur actu esse infinitum, sed tantum in potentia. Vnde tantum posset colligi, quod præcessit successivè bonitas infinita, ita ut pars determinata correspondeat vni anno (v. g.) & alia alteri anno, sed quilibet pars bonitatis transiret, & non permaneret transiente anno, & sic actu tantum existeret bonitas finita correspondens instanti præfenti. Cum quo rectè cohereret, quod prædictus actus fuisset actu infinite meritorius: quia ad hoc non est necesse, quod actu tota bonitas existat, sed sufficit, quod præcesserit, & existat in assimilatione divina. Non tamen conferretur ei præmium infinitum, quia hoc ab intrinseco est impossibile.

Si autem prædictus actus esset de numero permanentium habentium simul totum suum esse, tunc bonitas eius non augetur tractu temporis, sed perseveraret indivisibilis cum eadem bonitate, quam haberet ab æterno. Et ratio est: quia bonitas, quæ sumitur ex duratione, pendet ab ea in fieri, augeri, & conservari. Prædictus autem actus mensuraretur ævo, aut æternitate participata, quæ habet simul totum suum esse, & non addit per coexistentiam ad infinitum tempus maiorem perfectionem, quam habet in quolibet instanti. Vnde idem dicendum foret de actu moralitè bono per ævum mensurato. Neque aliquid deducitur contra nostram assertionem: quia in ea est sermo de actibus mensuratis duratione successiva, in quibus sicut duratio augetur, & illorum difficultas, etiam augeri debet bonitas moralis; quæ ratio non habet locum in ævo, nec in actu per illud mensurato.

DUBIUM II.

An, accedente bonitate finis, maneat bonitas, quae est ex obiecto?

15 **Q**uia finis est praecipua circumstantia actus, propterea circa illam hoc dubium movemus, ex cuius resolutione facile quis deducere poterit, quid de alijs circumstantiis dicendum est. Et ut detur locus disputationi, oportet loqui de fine, qui secundum se est bonus; & de obiecto, quod etiam secundum se est bonum, ut contingit in actu elemosynae ad satisfaciendum pro peccatis; & de hoc actu inquirimus, an praeter bonitatem poenitentiae habeat bonitatem misericordiae. In quo supponitur ut omnino certum, praedictum actum sumere ad praedictum fine bonitatem moralem specie distinctam a bonitate misericordiae; & tantum dabitur est, an detur in eo bonitas moralis misericordiae.

Pro cuius luce, habenda est praec oculis celebris illa divisio finis, in finem operantis, qui dicitur *remotus*, & *extrinsecus*; & finem operis, qui appellatur *proximus*, & *intrinsecus*. Finis operis est ille, qui coincidit cum obiecto; & dicitur finis *operis*, quia competit actui ex natura rei, & non ex extrinseca operantis ordinatione; dicitur etiam *intrinsecus*, quia ab intrinseco convenit actui, & non ab extrinseco; & tandem dicitur *proximus*, quia immediate respicitur, & attingitur ab operatione. Finis vero operantis est ille, qui distinguitur ab obiecto, eique accidit; & propterea solet a Theologis appellari prima circumstantia actus humani. Dicitur autem *extrinsecus*, quia non competit actui ex rei natura, sed omnino accidentaliter. Dicitur *remotus*, quia non respicitur ab actu immediate, sed medio obiecto. Et tandem dicitur *operantis*, quia adiungitur actui ex mera voluntate operantis. Omnia cernere licet in praedicto actu dandi elemosynam ad satisfaciendum pro peccatis: cuius finis proximus, & intrinsecus est sublevatio miseriae, quae est proprium obiectum illius; & satisfactio est finis extrinsecus, & remotus, qui accidentaliter advenit actui; & locus illius potest alter finis extrinsecus bonus subfuit, manente specifica tendentia ad obiectum. Ex ipsi terminis constat, titulum quaestionis debere intelligi de fine operantis.

§. I.

Sententia Divi Thomae electio.

16 **D**icendum est, actum habentem obiectum secundum se bonum, & bonum finem, ut actum dandi elemosynam ad satisfaciendum, habere duplicem speciem

bonitatis moralis. Haec assertio est communis Theologorum, vno excepto Vazquez. Eamque expresse tradidit D. Thomas in praef. quaest. 18. art. 4. 6. & 7. & 3. Contra gent. cap. 138. 2. q. 19. art. 4. alijque in locis.

Et probatur ratione: Nam non repugnat, idem obiectum per eundem numero actum amari propter seipsum, & removere propter alium finem, imo verosimile est talem modum operandi esse frequentem in ordine humanorum actuum: ergo si obiectum secundum se est bonum in linea morali, & finis item est bonus, actus praedictus habebit bonitatem moralem desumptam ab obiecto, distinctamque a bonitate finis: ergo supposito, quod obiectum secundum se, & finis pertineant ad diversas species moralitatis, proculdubio actus habebit duplicem speciem bonitatis moralis, ut volitio dandi elemosynam ad satisfaciendum pro peccatis. Haec vltima consequentia legitime deducitur ex prima; & prima ex antecedenti. Antecedens potius debet supponi, quam probari ex dictis tract. 8. disp. 1. dub. 4. ubi ostendimus, dari fines intermedios, eundemque actum habere respectu eiusdem obiecti rationem intentionis, & electionis; sed de ratione cuiuscunque finis est, quod ametur propter se; & de ratione intentionis est, quod terminetur ad finem sub ratione finis: ergo non repugnat idem obiectum per eundem actum amari propter se, & removere propter alium finem.

Et confirmatur: Nam actus elemosynae, ad satisfaciendum pro peccatis, habet specialem conformitatem cum regulis morum, & distinctam ab ea, quam habet ratione finis: ergo etiam habet bonitatem distinctam specie a bonitate desumpta ex fine. Antecedens probatur: nam non potest negari, quod actus ieiunij, & elemosynae ad satisfaciendum pro peccatis habent diversas conformitates cum regulis moris: ergo quilibet habet distinctam conformitatem cum regulis morum a conformitate, quam habet ex fine. Antecedens probatur: nam vnus ex illis actibus est altero melior, tam secundum se, quam in ordine ad praedictum finem: ergo habent diversas conformitates, adhuc dum eliciuntur ad satisfaciendum pro peccatis.

17 Probatur *secundum* ratione: Nam actus elemosynae ad satisfaciendum pro peccatis procedit non solum a virtute poenitentiae imperativae, sed etiam elicitive a virtute misericordiae; sed implicat, virtutem aliquam influere in actum, & non communicare suam propriam bonitatem: ergo praedictus actus non solum habet bonitatem poenitentiae, sed etiam bonitatem moralem misericordiae. Minor constat: quia nulla causa influit effective in actum, nisi communicet id, ratione cuius influit; & virtus moralis ratione propriae perfectionis influit in talem actum, etiam ordinatur ad aliquem finem remotum. Antecedens probatur, tum ex D. Thoma 2. 2. quaest. 4. art.

art. 3. ad 1. ubi ait. *Nihil prohibet, unum actum a diversis habitibus informari, & secundum hoc ad diversas species reduci.* Clarius id docet 3. Contra gent. cap. 138. ubi inquit. *Eodem modo & in virtutibus contingit, quod actus vnus virtutis ad aliam virtutem ordinatur, sicut cum quis dat sua, ut cum altero amicitiam habeat charitatis: actus quidem ex sua specie est liberalitatis: ex fine autem charitatis.* Quo quid clarius.

Tum etiam: Nam praedictus actus habet specialem difficultatem, distinctam ab ea, quae desumitur ex fine: ergo requiritur diversa virtus. Antecedens est certum: nam quis negabit, quod praeter difficultatem ortam ex fine satisfactionis habet aliam maiorem difficultatem in ieiunio, quam in elemosyna, & alter in elemosyna magis, quam in ieiunio? Signum ergo est, quod, etiam si ordinetur ad satisfaciendum, habet difficultatem distinctam a difficultate desumpta ex fine.

Tum denique: nam actus praedictus ex frequentatione producit, & auget habitum misericordiae, alias qui per totam vitam erogaret elemosynam propter Deum, vel ieiunaret, non acquireret virtutem misericordiae, & abstinence: quo quid absurdius? ergo procedit elicitive a virtute.

18 Denique probatur ab inconvenientibus, quae sequuntur ex opposita sententia. Sequitur enim *primò*, quod qui semel retulit se, & omnia sua in Deum, quando durat illa relatio, vel formaliter vel virtualiter, non possit exercere nisi actum charitatis: quia iuxta oppositam sententiam non habet aliam bonitatem nisi ex fine, & a virtute imperante. ¶ Sequitur *secundò*, Christum Dominum non habere aliam virtutem, sive acquiritam, sive insutam praeter charitatem: quia ex charitate omnia formaliter ordinabat in Deum. ¶ Sequitur *tertiò*, actum perfectum contritionis nunquam procedere a virtute poenitentiae; & sic pro hoc actu superfluum esse hanc virtutem: quia semper ordinatur actualiter in finem charitatis. Idemque colligitur de actu fidei propter Deum, & de actu martyrij, qui est actus fortitudinis, de quo inquit D. Thomas 2. 2. quaest. 124. art. 3. quod non est laudabilis, nisi imperetur a charitate, vel ab alia virtute. ¶ Sequitur *quartò*, in iustificacione impij extra Sacramentum non intervenire actus fidei, spei, & poenitentiae, sed actum precise charitatis, per quem praedicti actus in instanti iustificacionis ordinantur ad Deum. Quod non solum est contra D. Thomam, sed etiam contra Trident. sess. 6. cap. 6. & can. 3. ¶ Sequitur *quintò*, charitatem non esse formam aliarum virtutum: quia per eius informationem ordinantur ad Deum, & nulla bonitas alicuius virtutis est comparabilis cum bonitate charitatis iuxta Adversarium.

19 Nec dissimulare possumus aliam rationem desumptam ex actu malo: Nam actus habens malum obiectum secundum se, & pravam finem, ut actus furti ad machandum, habet duplicem speciem malitiae moralis: ergo etiam actus bonus habens obiectum bonum secundum se, & bonum finem habet etiam duplicem speciem bonitatis moralis. Antecedens admittitur a Vazquo. Et merito: Tum quia est D. Thomae 3. Contra gentes cap. 138. ubi ait: *Congingit, unum actum duorum virtutum esse, dum actus vnus vitij ad finem alterius ordinatur; ut cum quis furatur, ut fornicetur: actus quidem secundum suam speciem est vitiosus; secundum intentionem vero luxuriae.* Tum, quia alias non teneretur virtutem aperire in confessione. Consequentia vero constat a paritate rationis.

20 Respondet Vazquez disp. 51. cap. 3. *Si Postremo negandum est*, esse notam disparitatem inter actum bonum, & malum desumptam ex illo axioma D. Dionysii. *Bonum ex insecra causa, & malum ex quocumque defectu.* Ex quo colligitur, quod ut actio desumat malitiam ab obiecto malo, sufficit, quod sit volitum quacumque ratione, sive propter se, sive propter aliud: sed ut actio sumat bonitatem ex obiecto bono, non sufficit, quod obiectum sit secundum se bonum, sed requiritur, quod ametur propter se.

Sed haec evasio videtur omnino voluntaria: Nam non minus obiectum malum ordinatur ad finem pravam per modum medij, quam obiectum malum ad finem bonum; sed quia obiectum bonum assumitur per modum medij, aut vitis ad finem bonum, aliter Vazquez, actum non desumere bonitatem ab obiecto, sed precise a fine: ergo vel actus malus non accipit malitiam ab obiecto pravo; vel actus bonus desumit bonitatem ab obiecto bono. Pareat consequentia: nam non apparet ratio discriminis, quod in eius sententia medium vel *medium* habeat intrinsecam malitiam, & non habeat intrinsecam bonitatem. Praeterquam quod virtusque generis actus habet rationem intentionis, & electionis, prout terminatur ab obiectum proximum; & hac ratione hoc amatur propter se.

21 Sed inquires: An assertio nostra possit sustineri de actu illo, non solum prout habet rationem intentionis, quo pacto amatur obiectum propter se, sed etiam prout sumitur in vellectionis, per quam obiectum non amatur nisi propter aliud? Ad quod respondetur affirmative. Ratio est: quia electio, ut electio est, in nostra sententia specificatur a medio sub expressione *medij* ergo si medium vel *medium* habeat specialem honestatem, actus debet ab illo accipere specialem bonitatem. Probatur consequentia: nam non stat, quod obiectum specifica-

carivum alicuius actionis attingatur ab ea sub aliqua perfectione, & quod eam non participet ab illo: ergo si medium, ut medium est, habet specialem honestatem, & electio specificatur ab illo, opus est, quod accipiat ab eo aliquam bonitatem.

Explicatur hoc: Nam honestas obiecti prout talis potest fundare utilitatem; & sic videtur, quod vnum obiectum honestum est vtilius ad finem satisfactionis, vel ad Deum, quam aliud obiectum honestum: v.g. vtilius est martyrium, quod est actus, vel obiectum fortitudinis, ad amandum Deum, quam modicus actus abstinentie; & vtilius est ieiunium in pane, & aqua ad satisfaciendum pro peccatis, quam modica abstinentia: ergo predicta honestas dilecta ut vtilis ad bonum finem, non est eum non prestat actui aliquam bonitatem. Patet consequentia: quia si vtilitas medijs physici prestat electioni perfectionem physicam, & maior vtilitas maiorem perfectionem; cur vtilitas medijs moralis fundata in honestate, non prestat bonitatem moralem, & maior vtilitas moralis maiorem bonitatem moralem? Hec autem intelligenda sunt, ita ut honestas, in qua vtilitas fundatur, sit cognita: nam, hac cognitione deficiente, solum alumeretur in ratione medijs physici.

¶ Vazquezij argumenta:

Adversus nostram sententiam sententia Vazquez, asserens in actu ieiunij propter penitentiam non dari aliam bonitatem, prater eam que desumitur ab honestate penitentiae. Et arguitur primo ex Divo Thoma in hac quest. 18. art. 6. vbi expressè docet, actum interiorem voluntatis habere speciem ex fine, sicut ex proprio obiecto; sed hoc stare non potest, si habet aliquam bonitatem ex obiecto proximo: ergo actus voluntatis non habet aliam bonitatem, prater eam que desumitur ex fine. Minor constat: nam bonitas desumpta ex obiecto esset essentialis, & actus specificaretur ab obiecto; & non a fine, iuxta dicta disput. preced. Idem colligitur ex his, que ait ad 2. nempe, quod licet actui exteriori accidat ordinari in finem, tunc verò actui interiori: ergo licet bonitas desumpta ex fine in actu exteriori non sit prima, & specifica, bene verò in actu interiori: ac proinde non supponitur in eo aliqua bonitas desumpta ex obiecto. ¶ Et confirmatur ex eodem D. Thoma supra quest. 13. art. 1. vbi ait: *Si aliquis actum fortitudinis exerceat propter Dei amorem, actus qui dem ille materialiter est fortitudinis, formaliter verò charitatis: ergo sentit, non habere bonitatem aliam, nisi charitatis.*

Hoc argumentum sicut assumitur in seq.

vorem Vazquez: siquidem vel nihil probat, vel suadet, in actu interiori voluntatis malo non posse reperiri aliam malitiam moralem, nisi eam que desumitur ex fine operantis; quod negat Vazquez. ¶ Ad explicandum verò sensum opinionis D. Thomae contentum in primo loco, notandum est, nomine *actus interioris* non intelligi a D. Thoma omnem actum elicium à voluntate, sed tantum intelligi actum imperantem. Quæ expositio est communis Theologorum. De ratione autem prædicti actus imperantis est, quod specificetur à fine operantis; ad differentiam actus imperati, qui specificatur ab obiecto, & non à fine operantis. Sed hinc sinistre colligitur, quod actus imperatus non habeat duplicem speciem bonitatis, aut malitiae, aliam desumptam ex obiecto, alteram desumptam ex fine. Inferitur etiam male, quod actus imperantis non habeat duplicem bonitatem specie distinctam; ut cum intendit expresse satisfactionem pro peccatis per elemosynam. Cum hoc tamen discrimine, quod respectu actus imperantis bonitas penitentiae est essentialis & specifica, & bonitas misericordiae est accidentalis, & secundaria; & converso tamen in actu imperato bonitas misericordiae est essentialis, & specifica, & alia accidentalis. Et hoc tantum discrimen intendit Divus Thomas in prædicto loco; & ita nihil contra nos.

Secundus locus desumptus ex quest. 13. planè fateatur nostram sententiam, dum expressè concedit, prædictum actum esse absolute fortitudinis. Idemque docet pluribus alijs in locis dicens, virtutem fortitudinis concurrere ad prædictum actum; quod stare non potest, nisi habeat speciem, & bonitatem illius. Dicit tamen quod talis species est materialis, & species charitatis imperantis est formalis: ad eum modum quo charitas dicitur forma omnium virtutum, in quantum per suum imperium informat illas: sed hoc non tollit, quod qualiter virtus habeat suam speciem essentialem in genere moris distinctam specie à bonitate charitatis.

23. Arguitur secundò: Nam electio ut electio specificatur à fine in genere moris: ergo non habet aliam bonitatem distinctam à fine. Antecedens sæpius traditur à N. Salmant. Consequentia verò probatur: Nam si haberet aliam bonitatem ab obiecto, ab hoc potius specificaretur, quam à fine: cum bonitas desumpta ex obiecto esset primaria: ergo si specificatur à fine, non habet aliam bonitatem nisi desumptam ex fine.

Ad hoc argumentum facile respondetur, si in eodemmet actu distinguimus munus *electionis*, & munus *intentionis*. Unde quamvis prædictus actus sub expressione *electionis* non habeat nisi vnicam bonitatem moralem desumptam à fine, & nullam à medio, semper remanet in illo actu munus *intentionis*, sub quo accipit pri-

primam, & essentialem bonitatem moralem à medio, seu obiecto, prout habet rationem finis intermedijs, & à quo specificatur in genere moris. Et hoc sufficit ad salvandam nostram assertionem, & ut doctrina Salmant. maneat semper eadem, quam etiam nos alibi tradidimus.

24. Sed circa electionem sumptam sub munere *electionis* certè vrgent dicta num. 21. Et solum restat illam conciliare cum doctrina prædictorum PP. quæ in duobus dictis consistit, & quod electio, ut electio est, specificatur à fine; & quod sit eiusdem speciei in genere moris cum intentione. Ad quorum intelligentiam notandum est, quod prædicti PP. ita docent prædictam doctrinam, quod problematice sustineant oppositam, ut videri possunt in hoc tractatu disp. 6. num. 54. in illis verbis: *Diximus, etiam si admittamus omnes actus voluntatis. &c. propter ea, que circa specificationem electionis in esse physico tradidimus supra tract. 8. disp. 1. dub. 4.* Quibus verbis satis innotet, quod sicut electio in esse physico specificatur à medio, à quo habet suam bonitatem physicam, ita in esse morali specificatur à medio morali, à quo accipit etiam bonitatem moralem. Et num. 77. ab illis verbis: *Quamvis concederemus, electionem in esse morali specificari à medio. &c.* Iuxta quam doctrinam necessariò fatendum est, quod electio ut electio habet honestatem, & bonitatem desumptam à medio, prout pertinet ad virtutem distinctam ab imperante, quamvis hæc bonitas dependeat essentialiter à bonitate finis tanquam à ratione *sub qua* radicali, eo modo quo diximus, & dicunt prædicti PP. de electione sumpta in esse physico.

25. Solum obstat contra hanc doctrinam testimonium Arist. desumptum ex 2. Ethic. cap. 4. vbi asserit, quod ut aliquod opus sit alicuius virtutis, & habeat eius speciem, requiritur, quod fiat propter bonum sui obiecti; sed hoc repugnat electioni ut *electioni*, ut supponimus: ergo electio ut *electio* non recipit aliquam bonitatem ab obiecto, prout habet rationem medijs.

Sed ad hoc facile respondetur, quod licet virtus persè primò petat attingere proprium suum obiectum propter seipsum, quo pacto eius actus exprimit munus *intentionis*, non tamen ei repugnat, quod idem obiectum attingat secundario propter aliud finem. ¶ Et hinc deducitur maior confirmatio doctrinæ num. 21. Nam virtus misericordiae elicitive producit suum actum tam sub munere *intentionis*, quam sub munere *electionis*, dum illum ordinat ad obiectum proprium penitentiae: ergo habet honestatem, & bonitatem misericordiae actus sub utroque munere. Antecedens quoad secundam partem probatur: nam prædictus actus sub munere *electionis* debet produci elicitive ab aliquo habitu: nam si sub eius munere primario produciatur, non est ratio, cur non producat sub

munere secundario; sed non est assignabilis virtus, à qua elicitive procedat, nisi virtus misericordiae: ergo sub munere *electionis* produciatur ab ea. *Præsertim*: Quia si tota bonitas electionis, ut electio est, fumeretur ex fine, omnia media moralia, quatenus talia, essent equalis bonitatis ex vi eiusdem intentionis, & frustra eligeretur vnum præ alio: quia finis bonitas est ea dem. *Vnde* Quia intentio satisfaciendi pro peccatis per elemosynam habet bonitatem penitentiae, & misericordiae: ergo etiam electio, ut electio est elemosynæ ad satisfaciendum, habet utranque bonitatem.

S. III.

Dubia incidentia, & eorum resolutio.

26. **S**ED pro complemento præcipue, & primæ circumstantiæ, que est finis operantis: Inquires primo, an finis bonus diminueat bonitatem, quam actus habet ex obiecto? ¶ Supponimus, finem bonum augere absolute, & simpliciter bonitatem actus, qui habet obiectum bonum, ut satis constat ex hucusque dictis in hoc dubio; difficultas tamen est, an minuatur bonitatem, que desumitur ex obiecto? Et respondetur affirmativè: Nam eò actus habet minorem bonitatem ab obiecto, quò est minus voluntarius circa illud; sed finis operantis est ratio diminuendi rationem voluntarij circa obiectum: ergo diminuit bonitatem, quam actus habet ex obiecto. Minor probatur: nam dum voluntas rapitur à fine, affectus remittitur erga obiectum, iuxta illud, *Plusibus intentus minor est ad singula sensus*: ergo est minus voluntarius erga illud. Unde dicit elemosynam intendens solum honestatem illius maiorem bonitatem misericordiae habet, quam qui daret elemosynam ad satisfaciendum pro peccatis.

27. Sed ab hac regula excipiendus est finis absolute vltimus, vel in communi, vel in particulari. Et ratio est: quia obiectum proprium misericordiae essentialiter subordinatur, vel formaliter, vel virtualiter alicui fini vltimo: ergo finis vltimus nequit esse ratio diminuendi bonitatem, quam actus habet ex obiecto. Antecedens est certum: nam sicut nulla est causa creata, que actualiter non dependeat in operando à causa primà, ita nullus est finis proximus, qui non dependeat in movendo ab aliquo fine vltimo in particulari. Consequentia verò probatur: nam implicat, quòd finis vltimus sit ratio formalis diligendi honestatem elemosynæ, & quòd sit ratio diminuendi bonitatem actus per ordinem ad illam.

28. Sed obijcies primo ex Div. Thoma 32. Contra gentes cap. 138. vbi docet, finem charitatis, qui est vltimus, minuire bonitatem liberalitatis assumptam per modum medijs. Unde ait: